

1327-1327- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Perpinianum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capitulo generalis apud Perpinianum celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XXVII° ·

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione provincialis, ubi dicitur: vel magister ordinis, addatur: vel capitulum generale. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri non opportet, addatur sic: quod si magister ordinis aut capitulum generale aliquem fratrem illius provincie vicarium constituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in electione predicta vocem habere. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: si aliquem illorum mori in via, addatur sic: vel in ipso capitulo contigerit. Et hec habet duo capitula.

Item hanc, quod in festo beatissimi Michaelis archangeli fiat festum totum duplex. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: Si quis autem peccaverit et confiteri voluerit socio suo, deleatur totum usque ibi: si quis autem de mala familiaritate. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: loco illius alius assignetur, addatur sic: ille vero conventus, qui pro illo tempore duodenarium dictum numerum non habebit, ad ea, que tractanda sunt in capitulo provinciali sive in electione provincialis, quoad priorem et socium et electorem provincialis, nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratris obitum dictus numerus fuerit diminutus, provinciis Ierosolymitana et Grecie duntaxat exceptis. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: In rubrica de concommitancia festivitatum, ubi dicitur: si festum simplex vel maius post duplex etc., post illud: excipitur festum beati Petri martyris et festum translacionis beati Dominici, quando aliquod eorum in vigilia ascensionis evenerit, addatur: Item festum translacionis beati Dominici, quando sequenti die festum de corpore Christi fuerit celebrandum.

Item. In rubrica festi de corpore Christi, ubi dicitur: si autem festum istud et nativitatis beati Iohannis etc., post illud: nos matrici ecclesie conformemus, addatur: si vero in festo sancti Barnabe vel translacionis sancti Dominici aut cuiuscumque alterius sancti ipsum festum de corpore Christi occurrerit celebrandum, quocumque festum huiusmodi in quartam feriam precedentem transferatur et festum de corpore Christi celebrabitur suo die.

Item. In rubrica de credo in missa, post illud: in die pentecostes et cotidie per octavas ipsius, addatur: et in festo de corpore Christi.

Item hanc: In rubrica de prefacionibus, ubi dicitur: a nativitate domini etc. usque ad purificacionem, post illud: et in festo purificacionis, addatur: item in festo de corpore Christi. Et hec omnia de rubricis habent tria capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Quicumque in publica predicacione vel in communi coram secularium multitudine ullo tempore summum pontificem diffamaverit vel ipsius processus vel facta vel irreverenciam notabilem fecerit, carcerali custodie mancipetur, nec inde liberetur nisi per capitulum generale et cogatur, si commode fieri poterit, in publico revocare. Qui autem in privato, postquam per testes legitimos constiterit vel iudicialiter confessus fuerit, pena gravioris culpe puniatur, et nisi per provinciale capitulum vel per priorem provinciale de maturo consilio discretorum cum eo minime dispensemur. Idem fiat de falso accusatore vel teste legitimate convicto vel iudicialiter confessato in materia supradicta; prelati vero, qui in corrigendo huiusmodi transgressores inventi fuerint negligentes, per generale vel provinciale capitulum in penam a suis officiis absolvantur et preter hoc penis aliis gravius puniantur.

Item. Quicumque in nostro ordine inventi fuerint singularem vitam quocumque modo viciosam ducentes et contra communem modum vivendi diu ab ordine approbatum, primo admoneantur, et si admoniti correcti non fuerint, separentur et in diversis conventibus ponantur; et si in eodem persistant, per priorem provinciale vel provinciale capitulum carcerali custodie mancipetur.

Item. Quicumque crimen commiserit, pro quo in seculo pena mortis plecti deberet, in carcerem recludatur, penis aliis macerandus ibidem plus vel minus secundum delicti et persone qualitatem et circumstancias alias alleviantes vel etiam aggravantes, et nisi per capitulum generale non possit ab ipso carcere liberari. Quod si secundo recidivaverit, carceri perpetuo mancipetur.

Item. Quod ordinacio capituli Burdigalensis, de mutacionibus fratrum servetur, que est infrascripti tenoris: Cum electiones nostre maxime libere esse debeant et omni nota coactionis carere, districte iniungimus prioribus provincialibus et quibuscumque vicariis generalibus, quod infra mensem ante electionem quascumque novas assignaciones et mutaciones fratrum non faciant in conventibus, in quibus electiones huiusmodi fuerint celebrande, nisi pro officio lectorie vel pro gravi scandalo evitando vel nisi in provinciali capitulo et in loco ipsius provincialis capituli, sicut est in aliquibus provinciis consuetum. Quod si contrarium factum fuerit, huiusmodi mutaciones seu assignaciones quoad privacionem vecis in conventa, de quo fiunt iste mutaciones, et quoad ipsam vocem in conventu, in quo fiunt assignaciones huiusmodi suum non sorciantur effectum. Provinciales vero, qui in

hoc inventi fuerint excessisse, per magistrum ordinis vel diffinitores generalis capituli, cum legitime constiterit, a suis officiis absolvantur; vicarii autem omni officio ordinis usque ad tres annos sint privati, nec fratres possint privari vocibus eodem tempore, nisi ob causas in capitulo de graviori culpa contentas.

Item. Ordinamus et districte inhibemus, ne fiat aliquis predictor generalis nisi matus et discretus et sufficientis literature et qui convenienter sciat proponere verbum dei et sit ydoneus ad negotia ordinis pertractanda. Nec numerum conventuum provinciarum excedant, et non fiant aliqui in aliqua provincia habente numerum excessivum, donec ad dictum numerum sint redacti, illis duntaxat exceptis, qui ratione antiquitatis vel infirmitatis ad capita provincialia venire non possunt.

Item. Quod arceantur priores, qui male combinant fratres, quod saltem una pars copule sit clare fame et sufficientis etatis, et quod saltem unus ipsorum sit de lingua patrie, ubi hoc commode poterit observari.

Item. Quod, quando fratres recedunt de capitulo, per superiores combinentur, ne vagando discurrant, sed directe ad suos conventus vadant.

Sciant omnes fratres ordinis nostri, quod omnes ordinaciones predice vim constitutionum nostrarum habent, auctoritate domini nostri summi pontificis, non obstante, quod non habent, nisi presens capitulum generale et omnes in fine libri constitutionum nostrarum integre conscribantur.

Item. Cum in constitutionibus sororum nostrarum sit arctius ad eas determinatus ingressus, volumus constitutionem illam per adiectionem precepti, quantum ad omnes articulos arctius observari. Quod preceptum teneatur quilibet prior provincialis fratribus et sororibus intimare; quantum autem ad alia monasteria mandamus distinctione, qua possumus, omnibus prioribus provincialibus, quatenus ingressum fratrum ad monasteria arceant, quantum est possibile observari.

Item. Volumus, quod constitucio prohibens ingressum mulierum infra conventus fratrum cum diligencia observetur. Priores autem vel eorum vicarii, qui in hoc inventi fuerint excessisse, a suis officiis absolvantur in penam et preter hoc penis aliis arcus puniantur.

Item. Declaramus, volumus et mandamus, diligencius observari, quod fratres incarcerated non sint rebus suis ipso facto privati, sed sequestrentur et serventur, ut eis possint suo tempore restituui, si hoc visum fuerit suis superioribus expedire.

Item. Renovamus ordinacionem factam in precedenti immediate capitulo generali de non vitandis prioribus vel eorum vicariis, pendente superiorum iudicio¹; et ordinacionem factam de diffamatoribus et de pena adiecta ibidem²; et ordinacionem factam in capitulo generali Florencie celebrato, de non eundo ad magistrum ordinis sine sui prioris provincialis nec ad priorem provincialem sine sui prioris conventionalis licencia cum penis ibidem adiectis³.

Item. Declaramus, volumus et ordinamus, quod loca de Pera et de Chio simpliciter ad provinciam Grecie pertineant; et provincialis et diffinitores capituli provincialis Grecie ponant ibi conventus, quando eis videbitur expedire, qui numerum duodenarium non excedunt. Fratres autem pro Christo peregrinantes in eisdem recipientur conventibus et teneantur et inde mittantur et revocentur ad loca inter nationes gencium situata, ut fructum ferant et faciant, quem intendunt, secundum quod vicarii magistri ordinis dictorum fratrum peregrinancium discrecio iudicabit⁴.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri speciali licencia et expressa. Quicumque vero contrarium fecerit, preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sit privatus.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Anglie, Polonie et Dacie.

Item. Conventuales Valentinem, Massiliensem, Albenacii, Claramontensem, Niciensem, Carpenteratensem, Cistaricensem, Alestensem, Marologii et Pirpiniani.

Item. Absolvimus suppriorem Montispessulani in penam, quia male recepit diffinitores ad capitulum venientes. Et volumus, quod priores absoluti in eisdem conventibus vel provinciis resumi non possint ad eadem officia isto anno.

Damus vicarium generalem provincie Polonie fratrem Iacobum, priorem Viennensem de provincia Theutonie, donec prior provincialis electus et confirmatus fuerit et presens extiterit in eadem.

Item. Ponimus vicarium generalem in provincia Dacie fratrem Iohannem Album, lectorem Roscildensem, donec provincialis electus et confirmatus et presens fuerit in eadem.

¹ Cf. supra pag. 165 l. 3 sqq.

² Cf. supra pag. 165 l. 3.

³ Cf. supra pag. 131 l. 1.

⁴ De societate fratrum peregrinantium propter Christum cf. MASETTI l.c. pag. 457 sqq.

Item. Absolvimus omnes predicatores generales provincie Lombardie inferioris, exceptis illis, qui fuerunt vel sunt priores provinciales vel diffinitores capitulorum generalium vel provincialium vel qui fuerunt vel sunt inquisitores vel priores aut lectores principales in conventibus Bononiensi, Veneto vel Paduano.

Summa missarum pro vivis est quadraginta duarum missarum.

Summa missarum pro defunctis est missarum · xvii ·

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Bernardum Lombardi de provincia Provincie⁵.

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, fratrem Garinum de Giaco de provincia Francie⁶.

Concedimus provincie Ispanie duas domos ponendas, ubi prior provincialis et diffinitores capituli provincialis iudicaverint expedire.

Item. Provincie Romane tres domos ponendas eodem modo.

Item. Provincie Terre sancte unam ponendam in Rhodo et aliam in Armenia; quas domos concedimus supposita licencia summi pontificis et non ante.

Assignamus lectorem principalem in Tholosa fratrem Hugonem de Marciaco, magistrum in theologia⁷.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris, bachallariis et lectoribus biblie ordinet, sicut generali utilitati viderit expedire.

Sentencias iudicium approbamus. Sequens generale capitulum assignamus Tholose in provincia Tholosana, et ordinamus, quod priores provinciales, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante · viam · feriam immediate festum precedentem penthecostes.

Quicumque autem sine licencia ad capitulum venerit vel loco capituli appropinquaverit cum intencione ad capitulum veniendi, sit ipso facto per triennium omni voce privatus.

Declaracio quorumdam dubiorum facta in capitulo generali Perpiniani celebrato anno domini · m° · ccc° · xxvii°.

Anno domini · m° · ccc° · xxvii° · in diffinitorio ordinis Perpiniani celebrato fuerunt per reverendum patrem fratrem Barnabam, magistrum ordinis, et diffinitores capituli infra dicta declarata.

Primo fuit quesitum, quis dicatur inter electores primam vocem habere, propter id, quod dicitur in electione prioris conventionalis: Ille, qui primam vocem habuit inter electores, surgens dicat: Ego N. etc.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod ille censendus est inter electores primam vocem habere, qui primo in ipsa publicacione scrutinii pronunciatus fuerit elegisse. Unde ista prioritas neque dignitatem persone neque ordinem scrutinii, in quo vota eligencium requiruntur et scribuntur ad partem, sed solum prioritatem publicacionis et pronunciacionis respicit antedicta.

Secundo fuit quesitum, utrum studens extraneus generali studio assignatus possit ante terminum sibi assignatum de studio ipso recedere, propria voluntate, non revocatus, eidem studio renunciare.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod studens potest studio generali renunciare ante termini complementum, cum quilibet valeat renunciare gracie sibi facte, quando voluerit.

Tercio quesitum fuit, que sit pena transgressionis precepti, et ubi in constitutionibus caeventur.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod pena transgressionis precepti est pena, que taxatur illi, qui per manifestam rebellionem inobediens prelato suo extiterit, quia manifestam rebellionem constitucio ibi intelligit transgressionem precepti, ab eo, qui preest, expresse facti. Et hec pena est pena gravioris culpe, que in capitulo gravioris culpe ponitur et cavetur.

Quarto quesitum fuit, que sint pene privative carceralem sentenciam consequentes.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod nulle pene privative neque positive carceralem sentenciam ratione incarcerationis eiusmodi consequuntur, sed ratione cause sive culpe, propter quam quis fuerit carceri mancipatus. Ac quam causam seu culpam eciam sine incarceratione pene consequuntur predicte, prout in ipsis constitutionibus pro culpis talibus infliguntur.

Quinto, utrum vicarius generalis et ordinarius provincie possit absque nova commissione de monasteriis sororum se intromittere, que intra provinciam suam continentur, visitando, inquirendo et puniendo et alia exercendo, que prior provincialis in illis poterit exerceri.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod vicarius provincialis non potest se intromittere de monasteriis sororum, nisi quantum ei per priorem provinciale concessum fuerit et in litteris vicarie expressum, prout in actis [capituli] Argentine celebrati anno domini · m° · ccc° · vii° · extitit declaratum⁸; sed vicarius ordinarius potest, sicut et prior provincialis poterat, cuius ex vi constitutionum plenam in omnibus obtinet potestatem.

Sexto, utrum auctoritas vicarii provincie, qui vicarius est, eo quod sit prior in conventu illo, ubi immediate provinciale capitulum extitit celebratum, statim cum prior conventus, in quo sequens provinciale capitulum fuerit celebrandum, fuerit electus et confirmatus, ipso facto expiret, et ad ipsum priorem confirmatum vicariatus auctoritas devolvatur.

⁵ De fr. Bernardo Lombardi cf. supra pag. 166 l. 27.

⁶ De fr. Garino de Giaco cf. SSOP. I. pag. 619; DENIFLE Chartularium indicem; CHAPOTIN Les Dominicains d'Auxerre. Paris 1892 pag. 84 sqq. et indicem.

⁷ De fr. Hugone cf. supra pag. 135 l. 15.

⁸ Cf. supra pag. 24 l. 28 sqq.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod nullum dubium est quin, confirmato priore illius conventus, ubi sequens capitulum fuerit celebrandum, illius statim prioris auctoritas exprirabit, in cuius conventu precedens capitulum extitit celebratum.

Septimo, utrum vicarii provincie valeant absque expressa commissione et singulari et ipsius vicariatus auctoritate, apostatis nostris licenciam dare ad alios ordines transeundi.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod vicarii possunt apostatis licenciam dare ad alios ordines transeundi, de quibus ordinibus a sede apostolica est indultum, nisi quantum eisdem vicariis fuerit singulariter interdictum.

Octavo, utrum fratres per magistrum ordinis societati peregrinancium assignati sint de provinciis illis nec non et conventibus, ubi erant conventuales ante assignacionem predictam, et si vocem habent in electionibus quibuscumque. Ad quod dictum fuit, quod habent vocem et conventuales existant in illis provinciis et conventibus, ubi erant conventionaliter commorantes, quando fuerint societati peregrinancium assignati⁹.

Nono, utrum studens intraneus in studio generali, completo termino trium annorum, qui eidem studio in constitutionibus est taxatus, in ipso conventu, in quo studens fuit, an in illo, in quo erat, quando fuit primo eidem studio assignatus, conventionalis existat, si de eo nichil aliud extiterit ordinatum.

Ad quod dictum fuit, quod studens intraneus conventionalis remanet in conventu, in quo studens fuit, sed extraneus in conventu sue provincie, ubi conventionalis erat, quando primo fuit assignatus, nisi de eis extiterit aliter ordinatum, ut in articulo continetur.

Decimo, utrum non obstante illa constitucione, que dicit: si quis in apostasia ordinatus fuerit vel post excommunicationem divina celebrare presumpserit in ea, execuzione officii perpetuo careat, nisi forte postea ita religiose conversatus fuerit, ut cum eo auctoritate sedis apostolice dispensemetur, valeat cum tali per prelatos ordinis dispensari auctoritate concessa in mari magno.

Ad quod dictum fuit, quod, illa constitucione non obstante, ex indulto privilegii potest eis per prelatos ordinis absolucionis beneficium erogari.

Declaratum eciam extitit in eodem, quod illegitime natus non potest iurisdictionem aliquam obtinere neque ordinariam neque delegatam, puta prioratum nec supprioratum nec vicariatum nec visitacionis officium neque curam aliquam animarum, nisi quantum cum eo fuerit dispensatum, potest tamen in rebus temporalibus curam temporalis administracionis habere.

Item. Cum eo fuerit dispensatum, quod possit habere curam animarum, videlicet quod possit iurisdictionem obtinere ordinariam vel delegatam, non tamen posset esse prioris provincialis vicarius generalis, quia quamvis posset esse prior et supprior et vicarius eorumdem, non tamen usque ad provincialatum vel vicariatus generalis officium est huiusmodi dispensacio extendenda, nisi in dispensacionis tenore vel forma singularis de hoc concessio haberetur, licet forte posset esse vicarius provincialis et ordinarius, prout in nostris constitutionibus continetur, si contigerit eum esse priorem in conventu, ubi esset immediate futurum capitulum celebrandum, vel aliter secundum tenorem constitutionum, vicariatus provincie ratione prioratus ad ipsum contigeret devenire.

Quesivit bone memorie Bononie frater Iohannes de Puppo in quodam consilio, ubi erant fratres Beneventus prior Bononiensis, Andalo supprior, magister Thomas Anglicus, lector ibidem, Lambertus de Cingulo, inquisitor Bononiensis, Pax inquisitor, Thomasinus Mutinensis et Ubertinus Mutinensis, et posuit sic: supposito, quod unus frater sit conventionalis in uno conventu, postea de illo conventu removeatur a priore provinciali vel vicario eius, et alteri conventui assignetur per litteram, sed littera assignacionis, licet facta fuerit, non tamen ad ipsum pervenit, quia ante pervencionem littere de medio subtractus fuit per mortem, queritur: Utrum frater ille censendus sit conventionalis illius conventus, ubi primo erat, an illius, ubi per litteram fuit assignatus, licet littera non pervenerit ad eumdem, et per consequens ad quem illorum conventuum res et bona dicti fratris pertinere noscuntur?

Et responsum fuit finaliter, quod si in littera remotionis exprimatur sic: ex nunc prout ex tunc sitis tali conventui assignatus vel consimiliter vel quod coram aliquibus ille, qui assignat eum, coram aliquibus ex tunc conventionali assignet, talis frater licet neque littera neque verbum ad eum pervenerit, ad eum conventum pertinet, cui sic assignatum extitit, et non ad illum, in quo primo erat conventionalis, et consimiliter res ipsius ad illum et non ad istum conventum pertinere noscuntur. Si vero fuit secundum communem formam remotus et conventui alteri assignatus, videlicet tali conventui vos deputo per presentes, vel tali conventui auctoritate presencium vos deputo et assigno, tunc non dicitur esse amotus nec alteri conventui per consequens assignatus, nisi litera pervenerit ad eumdem: et ideo si morte preventus fuit, quare nec littera ad eum pervenit, ad primum conventum, in quo primo erat conventionalis, non ad secundum, res ipsius, quia ibidem, ubi primo erat, conventionalis existit.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis cf. app. n. LXXVIII.

⁹ De societate peregrinantium propter Christum cf. supra pag. 171 l. 9 sqq.